

La fiaccola sotto il moggio

Matteo	Luca	Marco
Vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt:	Nemo autem lucernam accendens operit eam vase aut subtus lectum ponit, sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit neque sub modio sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.	Et dicebat illis: Nunquid venit lucerna, ut sub modio ponatur aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditum quod non manifestetur, nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.

La pezza nuova sul vestito vecchio

Matteo	Luca	Marco
Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus; tollit enim plenitudinem eius a vestimento, et peior scissura fit.	Dicebat autem et similitudinem ad illos, quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus; alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo.	Nemo adsummentum panni rudis adsuit vestimento veteri; alioquin aufert supplementum novum a veteri, et maior scissura fit;

Il vino nuovo nelle otri vecchie

Matteo	Luca	Marco
Neque mittunt vinum novum in utres veteres; alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt; sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.	Et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin rumpet vinum novum utres et ipsum effundetur, et utres peribunt; / sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur.	et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt; sed vinum novum in utres novos mitti debet.

La parabola del seminatore

Luca	Matteo
Exiit qui seminat seminare semen suum. Et, dum seminat, aliud cecidit secus viam et conculcatum est, et volucres caeli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram et natum aruit, quia non habebat umorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam et ortum fecit fructum centuplum. Haec dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.	Et locutus est eis multa in parabolis dicens: Ecce exiit qui seminat seminare, et, dum seminat, quaedam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres caeli et comederunt ea; alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terrae; sole autem orto, aestuaverunt et, quia non habebant radicem, aruerunt; alia autem ceciderunt in spinas, et creverunt spinae et suffocaverunt ea; / alia autem ceciderunt in terram bonam et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.